



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 22. in parcos & immisericordes erga pauperes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

In hoc cœlum peccasse se dolet prodigus, & consumi se peccatis adolescentiæ conquerens Jobus personam eorum repræsentat, qui in adolescentia sua Mariam debito cultu & amore prosequi negligunt, & nescio quam Helenam, Magdalenam, Lenam pulcherrimæ mulierum castissimæque Virginum anteponunt, digni certè contra quos scribantur amaritudines, quia amores Mariæ dulcissimos averfantur & amarissimas potius Veneris

dulcedines venantur. Non simus degeneres & prodigi, non simus cæci & fatui, sed totis præcordiorum affectibus, totis cordium medullis MARIAM amemus, prædicemus, veneremur, quia hæc est voluntas ejus, qui omnia nos habere voluit per MARIAM.

* * *
* *
*



PHILIPPICA XXII.

In parcos & immisericordes erga pauperes
DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ

Unde ememus panes, ut manducent? Joann. 6. v. 5.

S. I.
Pauperes
Christo
chari.

Ræcipuè semper curæ Christo fuisse pauperes, ex plurimis ejusdem dictis, factisque indubitatum est.

Cum Ioannes in vinctulis discipulos suos ad IESUM misisset quæsitum: an is verè Messias esset? respondit operibus magis quàm verbis: *cæci vident, claudi ambulat, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* supremo loco pauperes posuit, quia ut ex Hieronymo observavit Beda apud Sylveiram tom. 3. pag. 165. non minus est pauperes evangelizare, quàm mortuos suscitare: *his non minus est pauperes Evangelizare.* Pauperes in beatorum ordine primo loco collocavit: *beati pauperes spiritu.* pauperes vicarios suos constituit: *quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis mihi fecistis.* pauperes multiplicato

per miraculum pane iteratò satiavit, Ioannis 6. & Marc. 8. ubi insuper verbis apertissimis cordis sui tenertudinem abundè demonstravit inquam: *miseror super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent, quòd manducent.* è quibus verbis, triplex elucet misericordia, cordis, oris, & operis, quàm in paucis est reperire, ut & stipem non rogati conferant, & stipi benignum verbum vultumque adjiciant, & ex imis misericordiæ visceribus miseriæ egenorum condoleant; quin potius reperire quàm plurimos hodie est, qui cum parca manu erogant stipem, copiosum maledicentiæ imbrem in egenos depluunt, increpant, exprobrant, durioraque verberibus verba in eosdem conjiciunt, prout eos proverbialiter descripsit Salomon: *cum obsecrationibus loquetur pauper, & dives esfabitur rigide.* contra quos rigidos

Matth. 11.
v. 5.

Matth. 5.
v. 3.

Matth. 25.
v. 40.

Prov. 23. v.
23.

P 2

mise-

miferorum infectatores, si rigidius aliquid protulero, genium me illorum expressisse existiment.

§. 2.
Oppref-
for paupe-
rum figu-
ratur in
Divite pa-
rabolico
Luc. 12.

Si qua retundendis egenorum persecutoribus apta est parabola, illam esse existimo, quam Salvator Luc. 12. à v. 16. proposuit de sordidissimo evlione, cui horrea congregandis frugibus non sufficiebant, hinc illæ næniæ *non habeo quò congregem fructus meos.* non habuit ergo locum condēdo frumento opportunum? imò verò habuit plusquam sufficientem. *non habeo quò congregem.* mentitur (rectissimè reponit Rabbanus) mentitur, nam horrea parata sunt pauperum ventres. at de his horreis nihil Dives intelligit: *non habeo quò congregem,* miserum! exclamat Chrysologus serm. 104. quem ubertas sterilem, abundantia anxium, inhumanum copia, divitiæ fecerunt mendicum. non tam mendicus ò Chrysologe quam stultus appellandus est, ex copia opum in mentis inopiam incidit, cum rumperentur horrea, non implebatur animus & vociferabatur: *non habeo.* clamat se dives non habere (verba S. Ambrosij l. de Naboth. c. 6.) paupertatis hic sermo est: de inopia queritur abundans fructibus, nimirum tam deest avaro, quod habet, quam quod non habet.

Quid, inquit, faciam? (D. Zenonis sententiam refero serm. de duplici genere tentationum) angustiatur ex abundantia, constringitur ex opulentia, infelix in præsentibus bonis, infelicior in futuris. Et ut video, ager ei non tam reditus largiores, quam gemitus attulit graviores, unde hi gemitus? pauperibus fortè expresserat, quibus stipem negârat, imò quorum sudorem, lachrymas, sanguinem exhauserat, ac velut sementem in agrum cordis sui feminârat. Non ingemisset,

si Josephi Patriarchæ usus exemplo atque consilio ita statuisset, prout magnificè D. Basilius dixit. *Imitabor Joseph, vocem emittam magnificam; quicumque panibus egetis, venite ad me, singuli futuri participes gratiæ à Deo mihi collatæ.* at non sic dixit, nullum à Josepho consilium requisivit, semetipsum consuluit, vel potius inhabitantem in se dæmonem, ut opinatur S. Chrysologus serm. 104. *quid faciam?* interrogantis vox est; quem putas interrogat iste? erat in illo alter, quia ad ejus penetralia jam Diabolus possessor infederat; & qui intraverat in cor Judæ, mentis ejus tenebat arcanum, consiliarium adhibent dæmonem, quotquot deliberant an succurrendum pauperibus, an superflui reditus erogandi mendicis, an thesauri congregandi in cœlis? & quid mirum, quòd non nisi stulta prodeant consilia, stultissima decreta de destruendis horreis, de multiplicandis laboribus & curis, de inferno sibi ampliando. Contra stulta hæc consilia procedit justissima sapientissimi Numinis sententia: *stulte hæc nocte animam tuam repetent à te.* stultus appellatur, quia nihil stultius quam quærere dubia, acquirere peritura, inquit D. Valerius homil. 10. cum se prudentissimum consilium invenisse arbitraretur (verba S. Augustini serm. 19. de verb. Apostol.) ait illi Deus: *stulte;* ubi tibi sapiens videris, ibi stultus es. subdit verò dignam ingenio suo observationem idem Hippo-nensis Doctor: *ecce increpatus est stultus male recondens. Si stultus est quòd recondit sua, vos invenite rationem ei, qui tollit aliena; si sordidus est reconditor suorum, ulcerosus est raptor alienorum.*

Tam graviter sentit pater misericordiarum immisericordiam hominum, ut gravius immisericordem

Basil. ho-
mil. 6.

Luc. 12. v.
21.

§. 3.
Oppref-
for paupe-
rum Lucif-
dem

ferodet e-
rior.

dem quàm blasphemum & divini honoris impugnatores persequatur. Lucifero enim propter blasphemiam ambitionem solummodo dicitur: *verumtamen in infernum detrahêris, in profundum lacu* II. 14. v. 13. at verò diviti avaro stultitiæ titulus impingitur: *stulte hâc nocte animam tuam repetent à te* Luc. 12. v. 21. *ipsis æternis cruciatibus major est stultitia nota*, inquit D. Basiliius homil. de divit. nimirum durior immisericordi poena quàm divini nominis violatori statuitur, unde & servus qui abscondit pecuniam Domini sui *malus* duntaxat appellatur: *serve male* & *piger* Matth. 25. v. 26. qui verò conservi misertus non est, nequam audit: *serve nequam omne debitum remisit tibi* Eccl. Matt. 18. v. 32. Rapiunt eundem avarum mors de nocte, quia bona temporalia illi fuere, ut loquitur D. Gregorius Nyssenus, *quasi vanum quoddam insomnium super re vana confictum*. De nocte rapitur: *quoniam odit lucem, nec justitiæ consecutus est veritatem* Petrus Dam. opusc. 43. c. 2. In nocte aufertur anima, inquit Strabus, quæ in obscuritate cordis, quod poterat pati, prævidere noluit. *Noctè anima avari reposcitur, quæ à tenebris incipit* & *in tenebris perseverat, avaro semper nox.* ità illustrissimè Ambrosius l. de Naboth. c. 4. *convenienter hâc nocte, quia fugiens misericordiæ lucem, avaritiæ tenebris se mancipaverat.* ità D. Chrysost. serm. 104. *stulte hâc nocte*. Percutuntur morte improvisâ in tempestivâ illiberales pauperum osores, sicut Sabinianus Pontifex Gregorij magni successor punitus est, teste Baronio, anno 603. sicut Hatto Moguntinus Episcopus, teste Genebrardo, anno 970. sicut, teste Cedreno, anno 553. Civis Constantinopolitanus extinctus est, cum æger 30. libras argenti distribui fecif-

Nysl. l. de
orat. do-
minic. pe-
tit. 4.

set, restitutus postea in integrum infano dolore erogatas opes deflevisset. Nec tantum immaturâ plectuntur morte, sed quod terribilius est, sine spatio poenitiæ, a deo que sine spe divinæ misericordiæ abripiuntur.

Indulgentur Ninivitis quadraginta dies ad agendam poenitentiam, avaro nè quadraginta horæ, ut intelligamus iræ divinæ magnitudinem, quæ nec inducias indulget ad poenitentiam. At nunquid multi pauperum oppressores longævi fuerunt, & de die in diem beatiores? respondet S. Gregorius l. 15. moral. c. 35. *sæpe divina patientia tolerat, quos jam ad supplicia præscita condemnat: permittit florere, quos adhuc cernit deteriora perpetrare. quia enim videt ad quam damnationis foream tendant, hoc eis pro nibilo esse existimat, quòd hic per-versi relinquenda multiplicant.* & lib. ibid. c. 5. *ut duriora tunc eos supplicia puniant, quorum hic malitiam nec dona vice-*

Si nullius alterius culpæ effectus rei, sola in pauperes inclementia nostræ sufficeret damnationi. Epuloni in flammis dicitur: *fili recepisti bona in vita tua*, in quæ observat Bernardus ep. 2. ad Fulconem: *recepisti dixit, non rapuisti, nè etiam de hoc tibi frustra blandiaris, quòd tuis contentus alia non rapias; & tamen in causam damnationis affertur temporalium receptio bonorum*: hæcine tota causa cruciatuum, quòd in hoc sæculo bona recepit? quærit iterum Bernard. serm. super: ecce nos reliquimus, & respondet: ipsa planè sufficientissima damnationis causa est, pauperibus bona non erogasse, benefacit animæ suæ vir misericors, quia crudelis etiam propinquos abjicit, ait Salomon proverb. 21. v. 17. quæ verba vertunt septuaginta, perdit autem suum ipsius corpus

S. 4.
Sola in
pauperes
immiseri-
cordia
damnatio-
nem me-
retur.

immisericors. Sicut Epulo perdidit, cujus linguam idcirco præ membris ceteris cruciari vehementius observat Chryfologus ferm. 122. quia Lazaro improperavit: *magis lingua moritur, quæ insultavit pauperi, quæ misericordiam negavit.* Cum enim cuperet Lazarus saturari micis, saturabatur opprobrijs. cum panem flagitaret, reportabat lapidem; cum peteret ovum, accipiebat scorpionem, duri videlicet verbi & convitij plagam; sicut hodiè que accidit dum pauper obsecrat, si enim corpore appareat integro: apage inquit, labora nebulo; si floccis ligatus sit, unde tibi hæc emplastra quibus nostra emungas marsupia? hic panis est, quem divites erogant, ut verum maneat illud Chryfologi de Lazaro: *dives pascebatur convitijs, pauper convitijs,* abundabant canes, famebat homo. ò quàm melius est apud crudeles divites esse canem, quàm hominem, quàm filium; tollunt enim panem filiorum & mittunt canibus. Malebat Augustus Herodis esse porcus, quàm Filius, mallent nonnunquam pauperes esse canes, quàm homines, repetuntque amarum illum gemitum: fac me non sicut unum, non dico de filijs, aut servis, sed sicut unum de canibus tuis, ò crudelitatem divitum, ò vefaniam, & rabiem plusquàm caninam!

§. 5.
Oppressio-
res pauperum
deteriores
canibus.

Caninam linguam & dentes epulo habuit, quibus pauperis sanguinem lambit & ulcera linxit, cum præ debilitate, ut loquitur Emanuel Sa abigere Lazarus canes non posset, & fame denique consumptus, ut vult Maldonatus, canibus in pabulum cederet. à nullo magis patiuntur pauperes quàm à canibus, à quibus allatrantur, invaduntur, lacerantur; canes sunt omnes oppressores pauperum, ij præsertim, qui canes suos alunt pane pauperi-

bus debito, adeoque carnes & sanguinem, ipsamque vitam pauperum canibus obijciunt in escam, quia *panis egentium vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est* Eccl. 34. v. 25. Contra barbaram Jezabel lata fuit sententia: *canes comedent Jezabel* 3. Reg. 21. & de Achab c. 22. refertur, quod canes linxerint sanguinem ejus, sed mortui. Christiani autem lingunt sanguinem vivorum membrorum Christi, ideoque cælo proscripti in canum, non hominum, numero habentur: *foris canes* Apoc. 23. v. 15. *famem patientur ut canes*, qui canibus prius libonem panis, quàm offulam pauperibus projecere, projiciendi & ipsi tartareis cerberis in offam.

pl. 58. v. 7.
& 15.

Acutè observat Lucifer Calaritanus l. de delinquent. conclusum in tribunalj divino contra Pharaonem fuisse, postquam hic ipsas adeò paleas populo negasset: *nequam ultra dabit paleas* Exod. 5. v. 6. *tunc conclusum est Dei judicium contra Pharaonem*, ut tanquam plumbum in aquis vehementibus mergeretur, & de aquis ad ignes transfiret. tunc ò crudelis egenorum oppressor judicium Dei contra caput tuum concluditur, cum unum alterumve straminis culmum negas pauperi, quem vix negas cani.

§. 6.
Oppressio
pauperum
iram Numinis
provocat.

Cum Servator noster divino plenus zelo negotiatores templo ejiceret, flagrisque in eos severè animadverteret, columbarum venditores flagro non percussit, sed satis habuit dicere: *auferte ista hinc* Joan. 2. v. 16. cujus facti rationem assignat Rupertus l. 3. in Joannem, quia colubæ pro pauperibus erant & pauperibus vendebantur, ideoque nihil acerbum in venditores statuit; quia paupertas benevolum semper animum Domini invenit, atque ad defensionem

ensionẽ magis quàm ad offensionem propensum paratũque experitur, loquatur Rupertus: *valde notandum est, quòd in medio fervore districtiõis, in ipsa flamma zeli ardentis, dum sinè cura Sacerdotum mercimonia projicit, pauperibus parcat scilicet his, qui columbas vendebant, non enim divites sed pauperes hujusmodi aviculas vendere solent. pauperibus ergo parcat, ut non exturbet columbas, quas vendebant. quas, cum exturbatæ evolassent, ipsi consequi non possent, & aliquanto damno affecti angerentur, ac jure deplorarent, hæc Rupertus. pepercit pauperibus Deus, nè eorum eliceret lachrymas & gemitus cieret. Nihil enim æquè vitandum est, quàm nè lachrymas pauperum effundamus eorumque clamores adversum nos concitemus, cum nihil magis cælũ penetret & divinam sollicitet iram, quàm justus pauperũ gemitus ac lachrymæ. propter miseriam inopũ, & gemitũ pauperum nunc exurgam, dicit Dominus ps. II. v. 6. ubi namque pauper ingemit: ego sum pauper & dolens, vindicem mox reperit, salus tua Deus suscepit me, vel ut Vatablus legit ex hebræo salus tua Deus vindicet me, non est opus, ut pauper suam alleget innocentiam, aut pietatem, aut modestiam, ceterasve virtutes; non inimicorum nequitiam & rabiem, sed sufficit dicere: quòd sit pauper & gemens; nihil enim magis, ut ex Sylveira in c. 2. Joan. q. II. dixi, sollicitat divinam iram ad inferendum supplicium, quàm gemitus pauperum.*

Judicium sinè misericordia illi, qui non fecit misericordiam Jacob. 2. v. 13. non expectet propitios Judicis oculos, non linguam, non aures, qui aures suas pauperibus clausit, qui obturat aurem suam, nè audiat pauperem, & ipse clamabit & non exaudietur prov. 21. v. 13. ex-

emplum non ita vetus narrat Dugnius in spec. trist. c. I. de opulento non quidem injusto raptore vel oppressore pauperum, sed illiberali atque tenaci, in abstrusis ædium conclavibus habitare solito, nè pauperum clamores exaudire cogeretur. cujus cadaver cum templo illatum esset, & justa de more fierent, quoties Sacerdos solenne illud: Dominus vobiscum pronuntiavit, toties crucifixi imago in altari exposita manus suas clavis eximere & aures obturare visa est; cum verò psalmus de profundis recitaretur ad verba illa: sicut aures tuæ intèdentes, horribilis vox ab eodem crucifixo emanavit: non exaudivit, non exaudiam. Nimirum qui obturat aurem suam, nè audiat pauperem, & ipse clamabit ad dominum, & non erit qui exaudiat eum, Quòd minatus est Gedeon viris Soccoth nolentibus dare panes exercitui suo: Cum reversus fuero victor, in pace conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti. Jud. 8. idque re ipsa præstitit: tulit ergo seniores civitatis & spinas deserti ac tribulos, & contrivit cum eis, atque comminuit viros Soccoth. Jud. 8. v. 16. idem expectent viri imifericordes, cum in judicium Iesus veniet, eisdemque exprobrabit: ò inhospitales Caucafi, quia viva membra aculeis verborum, velut spinis, compunxistis, spinis igneis caro vestra conteratur; quia cor lapideum in egenos gessistis obrigescite in lapidem velut immitis Nabal, qui quia exuli Davidi panes negavit, emortuum est cor ejus intrinsecus & factus est quasi lapis, & post dies decem percussit eum Dominus & mortuus est. I. Reg. 25. Timeant lapidescere, qui cor lapideum in egenos fovent, nec nisi lapides loquuntur. Narrat oculatus testis Gregorius Turonensis de gloria Confess. c. 108, decrepitem ne-

fcio

scio quem senem in littore maris confidentem à Præfecto navis, cum hic navi exenderet, aliquid edulij rogavisse; respondit durius præfectus: apage capularis Senecio, nihil nos in navi præter lapides vehimus, cui modestè Senex. si ita: servet ergo Deus vestros lapides, & ecce quidquid esculentorum, quidquid fructuum, dactylorum, olivarum, faccari, aromatum in navi erat, momento in lapides convertum est, servatâ tamen priori formâ & colore. senex verò reperiri nusquam potuit, vidit & attrectavit ipsemet Episcopus Gregorius fructus complures, & in plurimas civitates mitti fecit, ut lapidea corda hiscè lapidibus contererentur. ipso dæmone longè deteriores dixerò, quotquot egenis panem negant, & pro pane lapides imprecantur; dæmon enim famelico Christo lapides obtulit in panem convertendos, hi verò panes, quos porrigere paupe-

ribus deberent, in lapides & duriora lapidibus verba ac scommata convertunt.

Finiant dictionem hanc meam gravissimis sententiis suis S. Gregorius Nyssenus & D. Aurelius Augustinus: *digna sementi tuae messis; acerbitatem seminasti, collige manipulos. fugisti misericordiam, fugit te misericordia. abominatus es & fastidisti egenum, fastidiet te qui propter te egenus fuit.* Hæc S. Gregorius Nyss. orat. 6. de beatitud. Augustinus verò Deum judicem ita loquentem inducit: *Quid faciam tibi? elemosynas non fecisti, quæ peccatorum tuorum pœnas exstinguerent: interveniant pro te pauperes & quidquid petieris, dono, sed iusto iudicio tibi vicè reddo: quia iudicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam.*

§. 7.
gententia
SS. Gregorius
Nyl-
cai & Au-
gustini.

S. Aug. ser-
227. de
temp.



PHILIPPICA XXIII.

In Immemores Passionis Dominicæ.
DOMINICA PASSIONIS.

Vos dicitis, quia Deus vester est, & non cognovistis eum.

Ioan. 8. v. 54. & 55.

§. I.
Oblivio
crucifigen-
da.



Vtinam in hoc Templo hæc horâ redde-
re in scenam possem
spectaculum, quod
Ferdinando Tertio
Augustissimæ me-
moriam Imperatori ad singularem a-
nimorum compunctionem exhi-
bitum fuit, cum is pro avita pieta-
te die parasceves sepulchrum Do-
mini Viennæ in Ecclesia Societatis in-
viferet. Prodibat elegans pufio Cæ-

farei odæi phonascus Amorem Di-
vinum referens, trahebátque post
se JESULUM cruce oneratum, &
mori denuò paratum, cui obviâ
facta oblivio quærit: quid hoc sibi
velit spectaculum? cur renovari
crucis oporteat supplicium? ad
quid crucifigendus denuò Filius
Dei? respondit Amor, oblivionem
in causa esse, cur crucem rursus su-
bire Amator hominum velit; jam e-
nim veterem passionem ex animis
exci-